

*pars Suevorum & Isidi sacrificat.* Vid. Magnum Bochartum in *Canaan* lib. I. Cap. XXIII. β multas esse Germanorum voces & nomina, quæ Phœniciam & Ægyptiam linguam sapiunt, velut *Man* sive Mannus ab Ægyptiorum *Mennes*; *Æstar* vel *Easter* Saxonum Deæ nomen a Phœnicio *Astartes*; *Tamyris* a תמר; *Emf*/thermæ ad Lonam, a נמנ, & quæ id genus sexcenta sunt alia. γ. Germanicam linguam habere aliquid commune cum Persica. Qua de re videri potest Cl. Lipsius ep. XLIV. *Centurie III. ad Belgas.* Adeo ut *Nasua* forte dictus sit, quasi κατ' ἐξοχην princeps. Sed hæc aliquando curatius examinabimus.

### XVIII.

Et quid difficultatis, quæso, est in hac nostra sententia? si enim V. Cimberiorum ad Rhenum comitum, haut dubie a NASUÆ fratre *Cimberio* familiam ducentium, memoria adhuc reliqua; si *Duraciorum*, quos in Pictonibus numerat Cæsar lib. VIII. *comment. de bello Gall.* cap. IV. gens, nostra adhuc ætate, viget; cur non idem de NASUÆ stirpe nomineque dicamus? Accedit VI. auctoritas eruditorum inque Germanorum antiquitatibus versatissimorum Virorum: Franciscus Hottomannus J.C. in ad locum commentariis p. m. 345. non dubito, inquit, NASUAM dici, qui nunc NASSAVIUS: & *Cimbream*, qui nunc *Zimber*. Nicodemus Frischlinus Historicus, & Poëta eximius:

*At Nassovaum vivit adhuc decus,  
Surgens Adolfo Casare & ultimo*

A Na-